



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus XIV. De consanguinitate & affinitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

TITULUS XIII.

De eo, qui cognovit consanguineam uxoris
sux vel sponsæ.

TITULUS XIV.

De consanguinitate & affinitate.

Majoris commoditatis compendiique gratiâ hōs duos Titulos non incongruè con-
jungimus, utpote quorum posterior totam prioris materiam exhaurit, dum in eo agi-
tur de affinitate in tota sua latitudine accepta, quâ complectitur tam eam, quæ contra-
hitur ex copula licita, quàm quæ oritur ex illicita, ac proinde eam quoque, quam
quis contrahit ex eo, quod cognoverit consanguineam uxoris suæ.

CAPUT I.

De Consanguinitate.

Quest. 219. Quid sit consanguinitas.

Resp. Consanguinitas sic dicta quasi
sanguinis unitas, seu sanguinis com-
munis participatio, communiter tam
à Theo legis, quàm Juristis, defini-
tur ex S. Thom. in 4. d. 40. q. unic. a. 1. quod
sit vinculum seu conjunctio personarum ab eodem
stipite propinquo per carnalem propagationem de-
scendentium. Dicitur primò vinculum: cum
consanguinei, eò quod ex uno sanguine, & ab
una radice seu stipite originentur sicut rami ex ar-
bo- te, naturali quadam animorum conjunctio-
ne, nec non rarè complexionis & morum, imò & corpo-
rum similitudine colliguntur.

2. Dicitur secundo: *Ab eodem stipite*, seu pro-
genitore propinquo: ut Pirh. h. 1. n. 1. Sanch. L.
7. d. 50. n. 1. quia à communi stipite nimium re-
moto descendunt, consanguinei vocari non solent,
ne aliàs omnes homines, utpote ab Adamo & Noe-
mo descendentes, consanguinei inter se dicendi
forent. Cujus etiam communis modi loquendi
hæc est ratio; quod licet virtus generativa propen-
sa ad generandum sibi simile in omnibus ab Adamo
descendentibus secundum similitudinem specificam
seu humanam perseveret, non tamen quod ad simi-
litudinem individualem, secundum quam paren-
tes generant prolem sibi similem, eorum imaginem
referentem quod ad corporis, complexionis mo-
rumque habitudinem. Quæ virtus quod magis à
communi stipite per succedentes generationes pro-
greditur, eò magis dicta similitudo & sanguinis
proportio minuitur ac deficit, ut Lsidor. relatus in
c. consang. 35. q. 4. Ac proinde jam, ut bene Pirh.
l. c. ex Cōninck. d. 32. de Sacram. du. 1. n. 1. durat
ac procedit cognatio seu consanguinitas eò usque seu
in ter eos, qui secundum commune hominum ju-
diciū eundem sanguinem participant, eà parti-
cipatione ob diversam commixtionem & distan-
ciam à primo stipite non nimis deficiente. Quamvis hanc
propinquitatem satis declarari ipso verbo *stipite*,
absque eo, quod *propinquo* addi necesse sit, cen-
seat Castrop. tr. 28. d. 4. p. 7. n. 1.

3. Dicitur tertio: *Per carnalem propagationem*

descendunt: non addendo: *ad ordinariam*; siqui-
dem inter Christum & B. Virginem vera fuit con-
sanguinitas; quia ex uno stipite propinquo descen-
dunt, & ex sanguine Mariæ conceptum & effor-
matum Christi corpus, ministrante illâ totum
id, quod veræ matres naturales subministrant. Sanch.
Pirh. l. cit. non tamen propagatione carnali ordi-
naria, quæ sit concepto semine, ex Mariæ Christus
descendit. Neque etiam addendo cum Covar. in
epu. 2. p. c. 6. §. 6. n. 1. & aliis sequentia: vel *qua-
rum* (intelligit personarum) *una ab alia descendit*:
ut vel sic Adam ejusque filii dici possint consangu-
inei, quales aliàs dici non possent, cum non de-
scendant Adam & Seth. ab eodem stipite, etsi hic ab
illo descendat; quia definitur hic consanguinitas,
prout hodie est in usu. Laym. Pirh. l. cit. Brevio-
rem, & ut putat, meliorem definitionem dat Barb.
adh. 1. n. 6. quod sit relatio ratione sanguinis per
naturalem generationem communicati. Ponit loco
genetis *ad relatio*, ut significet, consanguinitatem
non esse ipsum vinculum, sed causam ipsius vincu-
li, ita ut vinculum sit effectus consanguinitatis,
juxta quod dicit Cicero L. 1. de officiis. Sanguinis
conjunctio devincit caritate homines. Dicit;
Ratione sanguinis: ad excludendas alias relationes.
Dicit: *Per naturalem generationem*: ut exclu-
dantur collateranei, qui etsi nutriti sint eodem san-
guine, & vel hinc dici possent conjuncti ratione
sanguinis, non tamen consanguinei. Juxta quam
definitionem ut Barb. Eva non fuit consanguinea A-
dami, utpote de cujus costa, non naturaliter, sed
miraculosè fuit efformata. E contra B. Virgo &
Christus fuere consanguinei; cum, ut Barb. ci-
tans D. Thom p. 3. q. 33. a. 4. in corp. generatio
Christi ex parte materiæ per Virginem Matrem ex-
hibita fuit naturalis. Atque ex his vides, etiam
illegitimos & spurios venire nomine consanguineo-
rum, cum spectato jure naturali, etiam illi ex com-
muni illis ac legitimis sanguine descendant; ad quæ,
ut Corrad. in pr. dispens. L. 7. c. 1. n. 6. quod ad ma-
trimonii impedimentum & dispensationem nullum
faciendum inter eos discrimen.

Quest.

Quaest. 220. Quotupliciter sumatur consanguinitas.

R Esp. Sumitur dupliciter in iure: Primò strictè ac civiliter, pro ut tantum comprehendit fratres ex eodem patre petitos, & eos tantum, qui per lineam masculinam seu per virilis sexus cognationem sunt conjuncti, ac ideo idem nomen & familiam sequuntur & agnati dicuntur, siue mares sint, siue feminæ. Sic Titius ejusque filii ac filia Germani fratres, eorumque filii ac filia agnati dicuntur & consanguinei in hac stricta significatione. Secundò latè & naturaliter secundum propriam actotam vim suam significandi, ut Barb. l. c. n. 7. pro ut comprehendit non tantum eos & eas, qui ex parte patris, sed & eos, qui ex parte matris seu per lineam maternam sunt conjuncti, & cognati dicuntur; ita ut & agnatos & cognatos, seu omnes descendentes, siue à matribus, siue à feminis comprehendat; ita Pirh. b. t. n. 2. ex Barb. l. c. ubi is etiam, quòd Juris consulti & Imperatores consanguinitatis nomen frequentissimè in stricta illa ac civili significatione usurpent, licet etiam aliquando, sed ratio in dicta illa significatione propria ac naturali; ut constat ex l. cum quidem. ff. de acquir. hered. & ibi Gl. v. consanguineus. l. hac parte. ff. unde cognati. E contra Pontifices utantur illo in significatione illa lata, propria & naturali; ita ut vix unquam usurpent illud in significatione illa civili, ut constat ex c. tua nos. c. non debet. b. t. hodieum verò ex consuetudine & communi loquendi usu usurpetur in lata illa significatione, & pro ut utriusque linea descendentes comprehendit, ut Bald. in l. ult. de V. S. num. 3.

Quaest. 221. Quid sit arbor consanguinitatis, stipites, linea, gradus.

1. **R** Esp. ad primum: Arbor consanguinitatis, accipiendi illam, pro ut complectitur ramos, radicem seu stipitem, est collectio personarum de uno sanguine propinquè participantium, distincta per stipitem, lineas & gradus; & sic à parte rei nihil est aliud, quam omnes personæ consanguineæ collectivè sumptæ.

2. Resp. ad secundum: Stipes est persona, à qua omnes personæ illæ, de quarum conjunctione quaeritur, descendunt, seu originem ducunt.

3. Resp. ad tertium: Linea consanguinitatis est series seu collectio ordinata personarum sanguine junctarum ab eodem stipite descendentium. Linea hæc duplex est, una dicitur recta, & est series seu ordo personarum, quarum una ab altera originatur. Bisariam subdividitur, nimirum secundum habitudinem principii ad eos, qui inde originantur, & secundum habitudinem eorum, qui derivantur ad suum principium. Laym. l. c. n. 3. Prior vocatur linea descendentium seu inferior, in qua continentur personæ, quæ ab ascendentibus derivantur, ut filii, nepotes, pronepotes, abnepotes, & sic in infinitum. Posterior dicitur ascendentium seu superior, in qua stant ii, à quibus alii ducunt originem, ut pater, avus, proavus, abavus, &c. Altera dicitur linea transversa, transversalis, obliqua, collateralis; & est series & ordo personarum sanguine inter se junctarum, descendentium quidem ab eodem stipite, quarum tamen una ab alia non ducit originem, ut frater patris, filii & filia fratris, nepotes & neptes ex fratre, pronepotes & proneptes ex fratre; item patruus & amita, magnus patruus, & magna amita, magnus propatruus, & magna pro-

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.

amita &c. Linea collateralis seu transversa alia est æqualis, continens nimirum personas, de quarum cognatione quaeritur in æquali gradu distantes à communi stipite. V. G. duo fratres, frater & foror. Si autem unus altero pluribus gradibus distet (hoc est, inter ipsum & stipitem plures personæ mediant, quàm inter alterum & stipitem) sunt collaterales in linea inæquali; sic frater à fororis vel fratris filia distat inæqualiter; quia fratres cum stipite, nempe patre, sunt in primo gradu, filia est in secundo gradu à stipite, ergo in inæquali gradu. Porro quoties fit mentio lineæ, nisi aliud exprimat, de linea recta intelligendum est, & non de transversa, monet Castrop. l. c. p. 7. n. 2. ex Peregrin. de fideicommiss. a. 22. & seq. Illud etiam notandum, quòd licet aliàs nepos propriè dicatur filius genitus ex filio vel filia respectu avi. l. jurisconsultus. §. nepos quoque. ff. de gradibus. appellatione tamen nepotis veniat etiam fratris vel fororis filius secundum communem usum loquendi. Pirh. b. t. n. 20. juxta c. tua nos. b. t. & Abb. ibi. n. 2. qui etiam addit, etiam in statutis nomine nepotis venire fratris filium.

4. Resp. ad quartum: Gradus consanguinitatis est habitudo conjunctionis unius consanguinei ad alterum per ordinem ad stipitem, à quo descendunt. Castrop. l. c. siue est distantia unius personæ ab altera in linea seu scala consanguinitatis Laym.

Quaest. 222. Quæ sint regule pro computandis & cognoscendis gradibus consanguinitatis.

1. **R** Esp. Statui communiter tres: Prima pro linea recta, ascendentium nimirum & descendentium, quam tam in iure civili, quam canonico receptam esse dicit Pirh. b. t. n. 4. nimirum quòd in linea recta tam ascendente quàm descendente tot sint gradus, quot personæ, unà demptâ, nimirum communi stipite, à quo prima ducitur origo; unde pater & filius sunt juncti in primo gradu (pater enim secundum se non constituit gradum, sed in ordine ad filium, adeoque cum eo constituit primum gradum; hic filius iterum cum filio à se genito secundum gradum) avus & nepos in secundo gradu, proavus & pronepos in tertio gradu, abavus & abnepos in quarto gradu. Eandem regulam sic exponit Castrop. l. c. n. 3. tot gradibus unus alteri conjungitur, vel ab eo distat, quot generationibus mediantibus ab eo descendit; sic filius est in primo gradu cum patre; quia mediâ unâ generatione ab eo procedit, nepos cum avo in secundo gradu, quia duplex generatio inter eos mediat.

2. Altera est regula pro linea transversa æquali, desumpta ex c. ad sedem. & c. parentela. 35. q. 5. quot gradibus personæ distant à stipite, tot gradibus distant inter se; cum enim tota & adæquata ratio conjunctionis harum personarum sit unio cum stipite communi, merito computantur gradus juxta distantiam ab illo, nec possunt magis aut minus distare inter se, quàm à stipite. Sanch. l. 7. d. 50. n. 5. Pirh. b. t. n. 5. Sic itaque quia duo fratres vel sorores uno solum gradu in linea recta distant à communi stipite, ideo ipsi inter se uno tantum gradu distant in linea transversa; patruales verò & consobrini, id est duorum fratrum vel sororum filii vel filia, quia in linea recta à communi stipite, hoc est, ab avo vel avia, distant duobus gradibus, ipsi inter se distant duobus gradibus; adeoque in secundo linea transversa sibi conjuncti, similiter filii & filia patrueliam vel consobrinorum, quia in linea recta distant tribus gradibus à stipite, sibi sunt in tertio gradu conjuncti.

P

3. Tertia

3. Tertia regula pro linea transversa inæquali, sive dum personæ quædam in lineis collateralibus inæqualiter distant à communi stipite, desumpta ex *c. fin. h. t.* est: tot gradibus unus alteri conjungitur, vel ab eo distat, quot gradibus à communi stipite distatis, qui est remotior. Sic Petrus & Joannes patruales sunt in secundo gradu conjuncti. Paulus Joannis filius & Petrus sunt sibi in tertio gradu conjuncti; quia Paulus à stipite distat tribus gradibus; sic Maria neptis Petri, & Anna abneptis illius, Paulus abnepos ejusdem Petri, ab utraque, nempe Maria & Anna distat etiam in æquali gradu, nempe quarto, quia quatuor gradibus distat à Petro.

Quæst. 223. Qualiter hæc graduum computatio servetur in utroque jure, & ubi servandum quod ad hoc Jus Canonicum, & ubi Jus civile.

1. **R**esp. primò: In computatione graduum lineæ rectæ convenit Jus civile cum Jure canonico, ut dictum; secus in computatione graduum lineæ transversæ tam æqualis quàm inæqualis; in Jure siquidem civili tot sunt gradus, quot personæ collaterales, quæ inter se conferuntur, dempto stipite, ut *Pirh. l. c. n. 7.* sive, quod idem est, Jus civile computat omnes gradus, qui sunt in personis computatis seu inter se collatis, utpote quarum quælibet suum distinctum gradum habet à stipite; sic juxta illud duo fratres sunt in secundo gradu; quia sunt duæ personæ collaterales, sive quia sunt duo gradus in iis, dum eorum quisque suum gradum habet per ordinem ad stipitem communem; duo filii fratrum sunt in quarto gradu; quia sunt quatuor personæ, sive quia complectuntur quatuor gradus seu generationes distinctas, dum unusquisque horum filiorum duabus distinctis generationibus descendit à communi stipite. Sic patruus ac nepos ex fratre sunt in tertio gradu; quia tres personæ hic, & tres generationes diversæ intercurrunt; duorum patruelium vel consobrinorum filii sunt in sexto gradu; quia intercurrunt hic sex personæ, nempe duo fratres, duorum horum filii, seu duo patruales & horum duo filii, seu generationes seu à communi stipite, hic numerantur.

2. **R**esp. secundò: Computatio graduum Juris canonici semper servanda, quò ad matrimonia fidelium; quia circa hæc Jus civile nihil disponere habet. Quò ad successiones hæreditarias, tam in foro ecclesiastico, quàm civili servanda computatio Juris civilis; quò ad alios contractus & actiones servanda computatio illius fori, ad quod contractus vel actio pertinet, nempe juris civilis in foro sæculari; Juris canonici in foro ecclesiastico, uti hæc omnia notant. *Sanch. l. 7. d. 50. n. 8. Gutt. c. 98. n. 11. Covar. in 4. decret. 2. p. c. 6. §. 6. n. 8. Castrop. n. 5. Pirh. n. 7.*

Quæst. 224. Consanguinitas in genere quo jure sit impedimentum dirimens.

1. **R**esp. Præscindendo à jure naturæ, quo fortè aliqua consanguinitas dirimit matrimonium contrahendum, de quo in *seq. quæst.* consanguinitas non dirimit illud amplius jure aliquo divino veteri; cum illud per legem evangelicam sit abrogatum. Sed neque jure aliquo novo divino à Christo lato & promulgato; cum nullum tale exstet; sed jure Pontificio; quo quidem olim reddebatur irritum usque ad septimum gradum inclusivè lineæ transversæ, ut constat ex *c. ad sedem. 35. q. 5.* aliisque decreti textibus; postmodum autem in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. restrictum est hoc

impedimentum dirimens ad gradum quartum inclusivè, ut constat ex *c. non debet. h. t.* Ratio autem, cur conveniens fuerit irritari matrimonia inter consanguineos, hæc redditur à Castrop. *cit. p. 7. n. 6. Pirh. h. t. n. 15. Sanch. l. 7. d. 53. n. 3.* quòd, cum matrimonia ordinentur ad fovendam augendamque in republica caritatem, & consanguinei jam satis vel hoc ipso titulo amore familiaritate sint conjuncti absque eo, quòd ad hunc finem egerent matrimoniis copulari, expediebat matrimonia ad eos solos extendi, qui dicto titulo amicitiae carent. Item (quam rationem tradit D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 9. in corp.) quòd, cum actus conjugalis quandam ex se indecentiam & turpitudinem referat, quæ reverentiam consanguineis debitam dedecet; ac denique ne, cum consanguinei summam inter se familiaritatem habeant, sæpe eorum pudicitia periclitetur, si matrimonia invicem contrahere possent, *Sanch. Pirh. Castrop. ll. cit.* Ratio verò, cur ad quartum solum gradum restrictum sit hoc impedimentum, hæc deducitur ex *cit. c. non debet.* nimirum, quòd in ulterioribus gradibus jam non poterat absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio seu irritatio (nempe ad septimum usque gradum) generaliter observari; cum sæpe diffiçiliter sciri possit, quinam quinto, sexto, septimo gradu, præsertim inter plebejos, conjuncti sint; quia tam remota cognatio æstimari & computari non solet. Ad hæc, ut *Pirh. h. t. n. 16. ex Tanner. Tom. 4. d. 8. de mat. q. 4. du. 4. n. 52.* ipsa realis participatio seu communicatio ejusdem sanguinis ex primo stipite traducta vix ultra quartam generationem perduret ob perpetuam humani corporis resolutionem & commixtionem cum alio sanguine. Unde etiam patet rationem illam adjectam per modum congruentiæ in *cit. cap.* ideo restrictionem factam ad quartum gradum, quòd corpus humanum consistet quatuor humoribus, non ita ridiculam & puerilem esse, uti cavillantur hæretici, ut rectè notavit *Sanch. l. c. d. 53. n. 6. & ex eo Pirh. l. c.*

2. Inferitur ex dictis, validum esse matrimonium inter consanguineos, quorum unus distat à stipite ultra quartum gradum, scilicet ex uno latere, & alter ex altero latere intra quartum; cum computatio faciendâ juxta gradum remotiorem; pro ut hæc illatio constat ex *c. vir qui. h. t.* Idque verum, etsi unus distet solum uno gradu à stipite. V. G. abnepos seu quartus nepos distans ab atavo seu quarto avo in quinto gradu, poterit matrimonium contrahere cum filia atavi ei conjuncta in primo gradu. *Sanch. n. 5. Pirh. n. 17.* cum communissima.

Quæst. 225. An matrimonium in primo vel etiam in secundo aliòve gradu consanguinitatis lineæ rectæ, nempe inter patrem & filiam, inter matrem & filium sit irritum jure naturæ.

1. **R**esp. ad primum: Matrimonium in primo gradu contractum esse irritum jure naturæ adeoque ab Ecclesia indispensabile, est communis omnium sententia. *Sanch. l. 7. d. 51. n. 7. Laym. l. 5. rr. 20. p. 4. c. 6. n. 1. Ponc. l. 7. c. 31. n. 4. Castrop. cit. p. 7. n. 8. &c.* Ratio autem, qua quidem probatur esse inconveniens tale matrimonium, non verò, quâ probatur esse etiam irritum, est, quòd genitus sit genitori subjectus & inferior, matrimonium verò suapte naturâ æqualitatem respiciat inter conjuges; eò quòd dicta subjectio naturalis non obsit, quò minus ad usum conjugalem æqualitas habeatur.

tur. Castrop. l. c. Unde ex eo hujus irritationis ratio petenda est, quòd copula seu commixtio illa parentum, cum liberis secundum se & ex natura rei sit facta, uti patet ex naturali instinctu omnium ferè gentium, & quorundam etiam animalium, teste Aristot. de histor. animal. l. 9. c. 49. & Plin. l. 8. hist. nat. c. 42. & prout docet D. Ambros. Ep. 66. ad patrem. abhorrentium talem concubitum; si autem jure naturæ illicita talis copula, inde rectè inferri videtur; ergo & matrimonium, quod ad copulam talem suapte natura refertur, jure naturæ invalidum censendum, seu tale, cujus contrahendi potestatem humano generi non concesserit Deus. Est tamen probabile, non esse hoc ita intrinsecè malum & naturæ repugnans, quin dicta turpitudine & indecentia in tali matrimonio reperta honestari possit in & à singulari & unico casu necessitatis publicæ conservandi genus humanum, deficientibus omnibus aliis hominibus præter patrem & filiam, vel matrem & filium, adeoque & Deus in hoc casu dispensare possit, reddendo in ordine ad actum conjugalem tantum filiam æqualem patri, bono publico prævalente contra reverentiam patri debitam, utpote privatam, Sanch. n. 10. Ponc. Laym. Castrop. LL. cit.

2. Resp. ad secundum: An irritetur quoque matrimonium jure naturæ in gradibus aliis extra primum, incertissimum est, ut bene Castrop. l. c. n. 9. tum propter opinionum diversitatem, tum ob rationum, quibus singulæ nituntur, non sat magnam firmitatem. Prohibitum esse ac irritum matrimonium jure naturæ non solum intra quartum, sed & in omni ulteriore in infinitum lineæ rectæ gradum, ita ut, si resurgeret Adam, nullam posset uxorem ducere, cum sit totius generis humani seu hominum omnium communis pater; tenent Bellarm. l. 1. de matrim. c. 28. Laym. l. c. n. 2. Pirh. h. t. n. 9. Gasp. Hurt. d. 17. diff. ult. & plures alii apud Sanch. l. 7. d. 51. n. 12. quibus favent jura civilia, l. nuptia. ff. de rit. nupt. ubi: *Nuptia subsistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum liberorumve sunt proximi, sive anteriores sint in infinitum.* & l. ult. ff. eod. ubi: *Jure gentium incestum commisit, qui ex gradu ascendendum vel descendendum uxorem ducit.* & §. ergo omnes. Inst. eod. Quas leges, cum per jus canonicum correctæ non sint (siquidem cit. c. non debet. h. t. non loquitur de gradibus lineæ rectæ, sed transversæ) servandas quoque esse in foro ecclesiastico, censent iidem AA. nec deficit ratio; quia nimirum omnes ascendentes in hac linea verè sunt & dicuntur parentes & majores, à quibus descendentes, non tantum per accidens, sed per se dependent tanquam à principii generationis, cum causæ causæ sit causæ causati; adeoque iis non minus quam parentibus descendentes jure naturali debent reverentiam & submissionem; huic autem adversetur turpitudine illa reperta in copula. Sed neque hic, ut fit in linea transversa, spectetur major aut minor participatio sanguinis communicata à virtute generante communis stipitis (quæ in remotioribus descendentes minor est, ac tandem omnino extinguitur, ita ut consanguinei esse desinant) quam ratio principii, cui per se reverentiam debent; omnes autem ascendentes sint principium per se necessarium descendendum.

3. Contrarium directè tenent Sanch. d. 51. n. 15. Ponc. l. 6. c. 81. n. 6. & apud illos alii, contrario omnino nixi fundamento, nimirum quia censent ascendentes non esse principium descendendum. V. G. avum non esse principium neptis, sed tantum

R. P. Leurr. Jur. Can. Lib. IV.

applicare principium, generando nimirum patrem illius; adeoque non debeat illis eadem reverentia, quæ patri, & consequenter non sit illa turpitudine, quæ est in copula cum parentibus. Vix quid diversum ab his AA. docet Castrop. cit. n. 9. dum ob easdem rationes credit, saltem ultra gradum secundum jure naturæ non irritari matrimonium. Quòd autem ultra gradum quartum non irritetur hoc jure, convinci se eà ait ratione, quòd Pontifex hoc impedimentum restringens ad quartum gradum locutus fuerit non tantum de gradibus lineæ transversæ, sed & lineæ rectæ; eò quòd aliàs posset quis cum suo ascendente contrahere in secundo gradu, sequens opinionem probabilem, illud matrimonium jure naturæ irritum non esse. Ad quòd tamen facile dici posset, quòd sicut in primo gradu irritum non est matrimonium jure Pontificio, ne declarativè quidem; quia id supponebant Concilia & Pontifices irritum jure naturæ; sic nec intra nec ultra quartum gradum lineæ rectæ, sed solum jure naturæ; quòd maximè verum est, si omnes gentes bene moratæ & institutæ horruerint semper talia matrimonia cum ascendentibus, & quidem absque aliquo jure positivo id inhibente.

Quest. 226. An matrimonium in primo gradu lineæ transversæ, nimirum inter fratres & sorores, sit irritum jure naturæ.

1. Resp. In hoc quoque non convenire AA. affirmant Sanch. d. 52. num. 11. Bellarm. l. 1. de mat. c. 28. Valent. Tom. 4. d. 10. p. 3. §. controversia. Gutt. c. 98. n. 20. Covar. in 4. decret. 2. p. c. 6. §. 10. n. 15. Laym. cit. c. 6. n. 3. Pirh. h. t. n. 10. Fundamentum eorum est, quòd quoque inter fratres & sorores ob sanguinis conjunctionem sit quidam naturalis pudor & reverentia, cui valde adversaretur actus conjugalis, per quem turpitudine alterius revelatur; quare pleræque gentes tale matrimonium detestatae sunt teste Aristot. l. 2. polit. c. 2. (ad quòd tamen Cón. quòd apud plerasque gentes matrimonia illa irrita fuerint jure positivo) & quæ illud permittebant graviter fuerunt super hoc reprehensæ & notatæ tanquam barbaræ, ut refert S. August. l. 22. contra Faustum. c. 35. unde etiam Genes. 20. ex eo, quòd Sara diceretur ab Abrahamo soror, Pharao putavit esse uxorem illius, tunc, quando lex nulla adhuc positiva exstabat, reddens tale matrimonium irritum; ad quòd tamen AA. contrariæ sententiæ dicunt, sufficillè ad illud Pharaonis judicium, quòd matrimonia rarè inter fratres & sorores contingerent. Confirmari quoque videtur hæc sententia ex eo, quòd Ecclesia nunquam in hoc gradu, etsi id petitum à Papa, ut Sanch. l. c. voluerit dispensare. De cætero ad hoc, quòd loco quoque confirmationis afferunt hi AA. nimirum quòd in c. gaudemus. de divortii Innoc. III. jubendo, ut qui in infidelitate in secundo vel ulteriore gradu contraxerunt, non separentur, satis innuat, si contraxerint in primo gradu, separandos esse; dicunt adversarii, ideo Pontificem de primo gradu tacuisse, seu id indecisum reliquisse, eò quòd id sub opinione constitutum esset.

2. E contra negant cum D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 9. ad 3. Cajet. ibid. Ponc. l. 7. c. 32. n. 3. Cón. d. 32. du. 1. n. 19. Hurt. d. 17. diff. 5. n. 12. Castrop. l. c. n. 11. & plures apud illum; eò quòd negent tantam dedecentiam reperiri in illa fratrurn cum sororibus copula; uti id nituntur probare pri-

mò, quòd gentes plures etiã bene institutã universaliter ista conjugia detestata non sint, cum plures ea sustinuerint teste Paleoto. *l. 2. de nobis filiis c. 3. à n. 2.* prout refertur in specie de quibusdam gentibus in provincia Peruana. Sed facillè id diluitur testimoniis adductis paulò ante in contrarium; & quis neget gentes illas Peruanas fuisse barbaras? secundò quòd ab initio mundi talia conjugia licita fuerint. Ad quòd tamen etiã satis consequenter dicere videntur oppositã sententiã AA. nimirum admittendo, non esse eam reverentiam & sanguinis conjunctionem tantam, quanta est inter parentes & liberos; adeoque copulam inter illos non ad eò indecentem, quin ab auctore naturã in tali casu necessitatis, qualis fuit ab initio mundi inter filios & filias Adã ad genus humanum propagandum, permitti potuerit. Admittunt nihilominus adversarii, ut expressè Laym. *l. c. Pith. n. 11.* propter has & similes rationes probabilium quoque esse oppositam sententiam, nempe quòd licet matrimonia inter fratres & sorores ex se sint indecentia & illicita, ac proinde jure naturã prohibita, non tamen sint jure naturã irrita; neque enim eo ipso, quòd aliquid jure naturã sit illicitum, etiã eodem jure est irritum. Sic enim violare sine causa fidem alteri datam est jure naturã illicitum, & tamen, si sponsus sine causa dissolvens sponsalia, frangat fidem datam sponsã contrahendo cum alia matrimonio, hic contractus matrimonialis non est nullus, sed valet; quare prohibitio juris naturã in eo fundata, quòd talis operatio dictanti ipso lumine rationis apud omnes gentes adversetur rationi naturali, non sufficit, ut etiã eo ipso sit irritum; sed tunc tandem, quando illud ipsum quoque intrinseco fini talis actus vel operis opponitur. Unde jam, si non obstante tali factò vel opere jure naturã illicito, natura & finis matrimonii (qui est procreatio sobolis & remedium concupiscentiã) illaesa permaneant, matrimonium quidem in eo casu erit illicitum, non tamen invalidum, ex quo tamen sequi videtur, æquè parum jure naturã esse irritum matrimonium inter parentes & liberos; quia dictus finis matrimonii manet illaesus. Sic quoque probabile videtur, potuisse occasione illius, quòd ea matrimonia sub ini-

tium mundi erant licita & valida, propagato deinceps humano genere, apud gentes aliquas perseverare consuetudinem ea celebrandi. Quamvis autem ex probabilibus hac sententia sua Sanch. *d. 52. n. 12.* cum Veracruz. *2. p. spec. a. 12. concl. 2.* inferant, si ex gentibus, apud quas est consuetudo talia matrimonia celebrandi convertantur ad fidem, non esse tali conjugio conjunctos separandos; consultius tamen ait Laym. in re ad eò gravi esse consulere Pontificem.

Quaest. 227. An matrimonium in secundo ceterisque gradibus lineæ collateralis sit irritum jure naturã.

REsp. Negativè cum Sanch. *l. c. n. 11.* Laym. *l. c. n. 4.* & communi; tamen enim turpe plerumque sit cum cognata contrahere matrimonium, naturã dictante deberi illi reverentiam quandam, cui adversetur copula carnalis, ut Bellarm. *l. 1. de mat. c. 27. respons. ad 1. arg. & ex eo Laym. l. c.* quòd etiã spectasse videtur præceptum illud *Levit. c. 18. omnis homo ad proximam sanguinis non accedat, ut revelet illi turpitudinem ejus.* Adeoque jam indecens esse videatur, si passim istiusmodi matrimonia, maxime in gradibus propinquioribus, instituantur sine urgente causa; non tamen jure naturã ita sunt prohibita, multòque minus irrita, ut ob rationabilem causam, præsertim publica autoritate accedente, honestarum non possint. Probatur quoque idem à posteriore imprimis ex *c. gaudemus de divorciis.* ubi deciditur, infideles ad fidem conversos, si in secundo vel ulterioribus gradibus lineæ obliquæ contraxerint matrimonium, separandos non esse, cum constitutionibus canonicis non arctentur (vel potius, arctati non fuerint, dum infideles essent) separandi autem essent, si matrimonium in illis gradibus jure naturã (quò & illi in infidelitate obligabantur) irritum est; dein in veteri testamento viri sancti in istis gradibus contraxerunt; Abraham duxit Saram fratris filiam, *Genes. 11.* Isaac Rebeccam consobrinam suam; & sic videmus passim Pontifices ex rationabili causa in his gradibus dispensare.

CAPUT II. De affinitate.

Quaest. 228. Quid sit affinitas.

REsp. Est propinquitatis personarum ex carnali copula proveniens; ita Theologi & utriusque Juris periti apud Sanch. *l. 7. d. 64. n. 1.* cum D. Thom. communiter recepto in *4. d. 41. q. unic. a. 1.* cum enim per copulam vir & mulier fiant una caro, consanguinei feminae redduntur affines viri in eo gradu, in quo sunt consanguinei feminae, & consanguinei viri sunt affines feminae in eo gradu, in quo sunt consanguinei viri, juxta quòd dicitur *c. fraternitatis. 35. q. 10.* ubi: *Si una caro fuerit, quomodo poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri.* Unde jam

Infertur primò: Saltem verè & propriè dictam affinitatem non nasci ex matrimonio rato tantum, Castrop. *tr. 28. d. 4. p. 8 num. 3.* Sanch. *l. 7. d. 64. n. 25.* Gutt. *c. 99. n. 7.* Pith. *b. e. n. 27.* juxta quòd definitivè Pius V. in Bulla edita *calend. Jul. 1568.* super declarat, Concil. Trid. de impediment, affinit.

quæ incipit, ad Romanam, quidquid velint aliqui apud Sanch. *l. c.* cum Sylv. *v. matrimonium. 8. q. 14. disto 2.* oriri ex tali matrimonio affinitatem quandam initialem, siquidem hoc ipsum est impedimentum publicæ honestatis. Infertur secundò, quòd ex ipsa affinitate non nascatur affinitas alia; hinc licet consanguinei viri sint affines feminae ab eo carnaliter cognita, non tamen sunt affines consanguineorum feminae, & è contra; uti habetur expressè *c. super his. b. e.* quare si Titius cognovit Cajam, pater, filius, frater Titii non impediuntur contrahere cum matre, filia, sorore Cajæ.

Quaest. 229. Num affinitas nascatur ex copula fornicaria seu illicita.

REsp. primò: Nasci eam ex copula illicita, imprimis jure ecclesiastico certum est: *c. discretionem. de eo qui cognovit consang. uxor. sua.* patet etiã ex eo, quòd hoc jure expressè dicatur

ea dicere matrimonium, quæ foret propositio de subiecto non supponente, si ex copula illicita hoc jure censeretur nulla nasci affinitas, Castrop. l. c. n. 5. citatis Cón. d. 32. du. 4. concl. 1. n. 4. Rebell. L. 3. de mat. q. 15. concl. 2. Hurt. d. 20. diff. 2. Jo. And. in c. 1. de convers. in fid. num. 3. Butt. ibid. n. 2. opposit. unic. Cardin. ibid. in princip. n. 1. opposit. 1. contra Nav. L. 4. consil. 111. de sponsal. cons. 7. Henriq. L. 12. c. 1. n. 2. Sanch. L. 7. d. 65. n. 9. Victor. Ledesin. &c. Ideo siquidem, spectato etiam jure naturæ, contrahitur affinitas per copulam conjugalem, quia per eam conjuges fiunt una caro, unusque sanguis, sed æquè per copulam fornicariam fornicantes fiunt una caro, dicente Apostolo 1. ad Cor. 6. v. 15. *Qui adhæret meretrici* (scilicet per copulam) *efficitur unum corpus*. Satisque colligitur ex eo, quòd Amos, 1. n. 7. tanquam scelus gravissimum reputetur, quòd pater & filius, introierunt ad eandem mulierem fornicandi gratiã. Sed neque obstat, quòd ex ista copula fornicaria nulla nascatur propinquitas, quæ amicitiam & reverentiam excitat inter consanguineos; si filius siquidem excitari nequit ad amorem & reverentiam erga fœminam, quam ejus pater fornicariè cognovit. Nam id signum non est, non nasci exinde affinitatem, utpote ad quam id necesse non est, sed sufficit habentes copulam illicitam fieri unam carnem, ad hæc, quòd filius excitetur potiùs in concubina patris odium, per accidens est inde ortum, quia ea copula fuit patri & sibi infamiae, damni alteriusve mali causa. De cetero namque nasci etiam erga talem patris concubinam reverentiam, satis ex eo colligitur, quòd filius etiam patre mortuo horreat cum tali copula.

2. Resp. Secundò: Quod attinet jus civile, communior saltem modus & sensus loquendi habet, quòd jura civilia nullam agnoscant affinitatem illegitimam, seu ortam ex copula illicita; nullam etiam ex hac affinitatem contrahi spectato jure civili, videtur colligi ex L. liberi. c. de nuptiis, ubi statuitur, ne filii ducant parentum concubinas; quia id minus religiosum & probabile est. Dum autem L. non facile §. affines. & §. sciendum ff. de gradib. affinit. dicitur: *sciendum est, neque cognationem neque affinitatem esse posse, nisi nuptia non interdictæ sint, ex quibus affinitas conjungitur* &c. non tam negatur affinitas, uti nec cognatio ex nuptiis interdictis absolute, quàm tantum quò ad effectus civiles, scilicet successionem; sicut etiam negatur cognatio & affinitas capite diminutis, non quidem naturalis, hæc enim tolli non poterat, sed civilis in ordine ad successionem; ita Castrop. cit. p. 8. n. 6. Sed & negatur hoc ipsum, quòd ad inferendum in foro civili non esse locum affinitati ex copula illicita affertur, nimirum, quòd ex copula fornicaria non sint imposta ea nomina, quæ ex copula conjugali affinitibus, licet tamen frequenter sic non appellentur; eò quòd hæc affinitas non sit honoris, sed decoris.

Quæst. 230. Qualis esse debeat copula, ut ex ea oriatur affinitas.

Resp. Necessariò debet esse perfecta & consummata, seu talis, quæ per se apta est generationi, & quæ matrimonium consummatur; cum per illam copulam & non per aliam fiant una caro. Sanch. L. 7. d. 64. à n. 8. Ponc. L. 7. c. 33. n. 2. Cón. d. 32. du. 4. n. 46. Castrop. l. c. n. 2. Pirh. b. t. n. 22, unde deducuntur sequentia, Primò

non sufficere ad contrahendam affinitatem referationem claustrii virginalis, seu penetrationem vas fœminei, sed requiri insuper seminationem saltem viri intra vas naturale ordinarium fœminæ, sine qua seminatione omnis alia copula inepta est ad generationem prolis; adeoque jam non sufficere copulam sodomiticam cum fœmina, neque ullam aliam pollutionem extra vas illius debitum. His non obstante textu c. juvenis. de sponsal. & c. fraternitati. de eo, qui cognov. consanguin. uxor. ubi decernitur, separandum esse virum à conjugè, eò quòd sororem ejus nondum septennem duxerit, & forsitan cum ea tentaverit consummare, nec poruerit, extraordinariã libidine polluerit; eo siquidem casu, ut Castrop. l. c. n. 3. decernitur separatio, non ob impedimentum affinitatis, sed ob impedimentum publicæ honestatis, eò quòd Papa loquatur de sponsalibus, intellige, antecederet cum dicta puella contractis. De ceterò num ex solius viri seminatione intra vas ordinarium nascatur affinitas, dependet ex eo, num sola viri seminatio sufficiat ad generationem prolis, ut habet communior medicorum; an verò insuper requiratur ad eam seminatio etiam fœminæ, uti non improbabiliter sentiunt alii; illud indubitatum, dum cum illa à viro habetur copula, ex seminatione solius fœminæ non nasci affinitatem. Secundò, sufficere ad contrahendam affinitatem copulam habitam cum fœmina dormiente, ebria, amente, coacta, etiam si copula sit occultissima; quia hæc omnes copule sufficiunt ad generationem, non autem habita cum mortua, Sanch. l. c. n. 12. 13. 17. & 18. & ex eo Pirh. b. t. n. 23, cum communi.

Quæst. 231. Num affinitas aliqua jure natura reddat matrimonium irritum.

1. Resp. Primò: Matrimonium contractum in primo gradu lineæ transversæ, nimirum contractum cum uxore fratris, vel cum sorore uxoris, tamen, ut libenter fatentur omnes, contineat naturalem quandam indecentiam, propter quam sine urgentissima causa permitti non debeat (ob quam etiam vetitum in lege veteri, nempe Levit. 18. ubi: *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudine fratris tui est*: quasi, ut Pirh. diceretur: indecens est, carnaliter conjungi cum uxore fratris propter conjunctionem & reverentiam erga fratrem) ea tamen dedecentia tanta non est, ut contractum vel contrahendum jure naturæ sit irritum, sive ut ob ipsam dicendum sit, auctorem naturæ, quæ talem denegasse affinitibus potestatem contrahendi inter se matrimonium. Ita Covar. in 4. decret. p. 2. c. 6. §. 10. n. 17. Bellarm. L. 1. de mat. c. 28. Sanch. L. 7. d. 66. n. 11. Ponc. L. 7. c. 34. n. 3. Laym. l. c. c. 6. n. 4. Castrop. cit. p. 8. n. 11. cum innumeris aliis DD. (qui varios tractatus ediderunt in defensionem matrimonii Henrici VIII, Angliæ Regis cum Catharina, quod ipse asserbat irritum esse, & ut tale declarari cupiebat; eò quòd ipsa priùs nupsisset fratri suo) cum communi contra Paludan. S. Antoninum, & alios apud Sanch. l. c. d. 52. num. 5. Constare id ipsum videtur à posteriore, dum Deuter. 25. etiam præcipitur univèrsim, ut frater ducat uxorem fratris sui defuncti sine liberis, ad suscitandum semen fratri suo. Dum in lege naturæ Jacob duxit duas sorores, Liam & Rachelem. Judas Thamar uxori primogeniti sui, hoc defuncto, dedit in matrimonium alterum filium suum Genes. 38, qui tamen in scriptura propterea non reprehenduntur. Item dum

dum varii Pontifices in tali gradu dispensarunt, Alex. VI. cum Rege Lusitanæ. Jul. II. cum Henrico VIII. Angliæ Rege, ut ducerent uxorem fratris, quam dispensationem Clemens VII. consultis desuper celeberrimis Universitatibus, & adhibita accuratissima deliberatione speciali Bulla declaravit validam & legitimam fuisse. Clem. VIII. cum Rege Poloniae, ut duceret uxoris defunctæ forem. Dum denique *c. fin. de divorc.* Papa permittit, ut infideles, qui in infidelitate contraxerant cum relictis uxoribus fratrum suorum, conversi ad fidem permaneant in illis matrimoniis, & non separentur, dum tamen separandi essent, si talia matrimonia essent jure naturæ irrita. Neque in contrarium facit, quod S. Joannes Baptista. *Matt. 14. & Marci. 6.* reprehenderit Herodem, nulli nisi legi naturæ subjectum, cum Judæus non esset, ob ductam Herodiam uxorem fratris sui Philippi; cum id factum; quia Philippo adhuc vivente duxerat ejus uxorem, ut in locum *Matt. D. Thom. in illum locum Marci. Beda, alique apud Maldonat. & Joseph. L. 18. antiquitat. c. 6.* vel, si mortuus fuerat, adhuc id non licebat Herodi; quia prohibitum in Lege Mosaic. *Levit. 18.* matrimonium cum uxore fratris demortui relinquens liberis (qualiter reliquerat filiam nempe Herodiam saltatricem) qua lege adstringebatur Herodes, etsi gentilis; cum esset filius cujusdam Judæi.

2. Resp. Secundo: Matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, nempe inter vitricum & prævignam, inter novercam & prævignum, socrum & nurum, socrum & generum esse jure naturæ irritum, docent Nav. *L. 4. consil. tit. desponsat. consil. 14.* Covar. *4. decret. p. 2. c. 6. §. 10. num. 6.* Valq. *Tom. 2. d. 112. n. 7.* Valent. *Tom. 4. d. 10. q. 5. p. 3.* Bellarm. *de mat. c. 28. post initium.* Laym. *cit. c. 6. n. 5.* Pirh. *h. t. n. 32.* pluresque alii relati à Sanch. *L. 7. d. 66. n. 6.* Fundamenta hujus sententiæ, uti & dilutio eorum, quam se facere putant AA. oppositæ sententiæ, paulò post subjiciuntur. Contrarium tenent D. Thom. *2. 2. q. 154. a. 9. in solut. ad 2.* Cajet. *ibid.* Sanch. *l. c. n. 7.* Henriq. *L. 11. c. 1.* Ponc. *L. 7. c. 34. n. 3.* Rebell. *de oblig. just. p. 2. L. 3. q. 15. n. 10.* Castrop. *cit. p. 8. n. 12.* qui pro hac sententiâ assertit hanc rationem, quod dicta affinitas non inducat ea, propter quæ aliàs matrimonium jure naturæ irritum est, & ab authore naturæ non concessum humano generi censetur. Non enim inferat impotentiam ad generandum; neque impediât debitam inter conjuges subjectionem (esto enim, filius reverentiam debeat uxori patris sui, id tamen non tollit, quò minus ea contracto cum ipso matrimonio subijci illi possit in domestica administratione) & licet ex eo, quod fuerit uxor patris, ac proinde effecta una cum eo caro, sequatur deberi ei parem ferè reverentiam, ac ipsi patri ab hujus filio, juxta quod etiam S. August. *L. 22. contra Faustum. c. 61.* relatus *c. si vir. 35. q. 3.* ait: *Si vir & uxor non duo, sed una sunt caro, non aliter autem nurus deputanda quam filia;* certum tamen est, à filio non deberi tantam reverentiam novercæ quam matri, à qua esse accepit, ut bene Castrop. & consequenter non esse in matrimonio contracto cum noverca tantam dedecentiam, ut causâ urgente (etiam præter eam, quæ consistit in necessaria propagatione generis humani aliàs deficiente) cohonestari possit. Favere quoque huic sententiæ videtur, quod *Reg. 3. c. 2.* Adonias pe-

terit Abisac uxorem patris sui defuncti in uxoretti; item textus quarundam Conciliorum, quos leges apud Castrop. Ex *L. verò si adulter. §. quare. ff. ad Leg. Jul. de adult. & ex L. ult. §. noverca. ff. de cond. sine caus.* ubi istæ nuptiæ vocantur incestuosæ plus deduci nequeat, quam quòd sint prohibitæ ob indecentiam, & spectato jure communi positivo sint irritæ, non verò jure naturæ. Idem dicunt hi AA. ad locum illum *Amos. 2.* ubi tanquam scelus gravissimum reputatur, quòd pater & filius ierint ad eandem puellam constituendam, præterquam hæc affinitas in hoc exemplo nata ex copula fornicaria. Item ad illud Apostoli *1. ad Cor. 5.* reprehendentis indecentissimum facinus, quo filius copulabatur uxori patris sui, & quidem ut Cajet. & alii relati à Cornet. à lapide in illum locum, vivente & renitente patre. Item ad illud *Deuter. 20.* ubi pœnâ ignis tale matrimonium punitur, nimirum dicunt, optimè inferri inde, esse id valde indecens, ac proinde ab eo homines omni modo deterrandos, & nunquam permittendum sine gravissima causâ, quæ quia raro contingere potest, Pontifices in hac affinitate nunquam dispensasse.

3. Resp. Tertiò: Affinitas orta ex copula fornicaria etiam in primo gradu lineæ rectæ jure naturæ non dirimit matrimonium, habet communis, Castrop. *num. 10.* Sanch. *d. 66. num. 3.* qui ut certum defendunt, Rebell. *L. 3. de mat. q. 15. concl. 2.* Laym. *l. c. c. 6. num. 6.* Pirh. *h. t. num. 33.* Tamen enim, ut dictum, ex copula fornicaria spectato jure gentium ac naturali oriatur aliqua affinitas, ea tamen tam perfecta non est, ac orta ex copula conjugata, neque tam efficax, ut secluso jure canonico impediât matrimonium, quò minus validè contrahi possit; uti hoc ipsum etiam confirmatur ex eo, quòd, ut Castrop. videamus Papam sæpe in hac affinitate dispensare. Unde jam inferitur, gentilem ante Baptismum validè contrahere posse, quin & licitè ob causam justam cum filia mulieris, cum qua antecederet fornicatus est; neque post Baptismum ab ea separandum, nisi fortè, si non ex jure naturæ, ex consuetudine tamen apud talem gentem talia matrimonia irrita censeantur. Laym. Pirh. *LL. cit. Coninck. d. 32. du. 4. num. 5.* qui tamen addit affinitatem contractam ante Baptismum (intellige, non tantum in primo gradu lineæ rectæ & transversæ, sed & in secundo gradu) permanere post Baptismum, ac impedire, quò minus jam validè cum filia, sorore vel nepte iustius fœminæ, cum qua ante Baptismum fornicatus, validè contrahere possit matrimonium.

Quæst. 232. Ad quem gradum affinitas jure ecclesiastico dirimat matrimonium.

1. Resp. Primò: Ex copula legitima & conjugali orta non secus, ac consanguinitas olim impedièbat matrimonium contrahendum, & dirimebat contractum usque ad gradum septimum *c. 1. c. nullum. c. equaliter. caus. 35. q. 3.* modò tamen juxta *c. non debet. h. t.* non nisi ad gradum quartum inclusivè; atque ita Titius nec licitè nec validè contrahere potest matrimonium cum Cajæ defunctæ uxoris suæ consanguineis intra quartum gradum.

2. Resp. Secundò: Par olim, seu ante Trident. quò ad dirimendum matrimonium erat ratio de affinitate orta ex copula illicita, quæ de orta ex copula

pula licita, uti constat ex *cit. c. non debet.* ubi ex causa affinitatis non distinguendo, inter ortam ex copula licita & ortam ex copula illicita impedimentum dirimens matrimonium statuitur usque ad quartum gradum inclusivè. Verùm hodie ex decreto Trid. *sess. 24. c. 4. de reform. mat.* impedimentum hoc affinitatis ex copula illicita restrictum est ad secundum gradum. Sic Titius fornicatus cum Caja contrahere nequit matrimonium cum Cajæ sorore, patruela, consobrina, matertera, validè tamen cum Cajæ consanguineis in tertio gradu; et si enim & in hoc & ulterioribus gradibus sit affinitas re ipsa, non est tamen juridica, seu quò ad effectus juris & vim impediendi matrimonium.

Quest. 233. Num affinitas ex copula illicita dirimat quoque sponsalia.

1. Resp. Primò: Affinitas orta ex copula illicita ob eandem rationem & intra eundem gradum, ob quam & in quo dirimit matrimonium, dirimit etiam sponsalia contrahenda & contracta de futuro. Sanch. *L. 7. d. 67. num. 7. & 8.* & ex eo Pirh. *ad Tit. de eo, qui cognov. consang. uxor. num. 21.* juxta *c. veniens. cod.* siquidem sponsalia de futuro nihil sunt, quam futurarum nuptiarum promissio; talis autem affinitas orta ex fornicatione cum consanguinea sponsæ impedit, ne talis promissio possit impleri; cum, ut dictum, inter affines in gradu prohibito contrahi validè nequeat matrimonium. Porro, quòd cognoscens consanguineam sponsæ fiat inhabilis etiam ad contrahendum matrimonium cum quavis alia, juxta *c. 1. de eo, qui cognovit.* importat solum impedimentum impediens respectu aliarum sponsæ non consanguinearum, in quo Episcopus dispensare potest, ut Pirh. *ad eund. tit. num. 9.* Verùm dicta impedimenta impediencia ex crimine non esse amplius in usu, dictum est supra.

2. Resp. Secundò: Affinitas ex copula incestuosa seu illicita superveniens sponsalibus contractis de præsentem seu matrimonio etiam rato tantum non solvit illud, juxta *c. discretionem. de eo qui.*

Quest. 234. An & qualiter affinitas orta ex incestuosa copula cum consanguinea uxoris, adeoque superveniens matrimonio impediatur petitionem debiti.

1. Resp. Primò: Attento jure antiquo seu ante Trident. sicut talis copula dirimebat matrimonium contrahendum usque ad quartum gradum, ita etiam intra eundem gradum contracta impediatur petitionem debiti. Castrop. *d. 3. p. 4. §. 6. num. 1.* à quo jure recedendum non esse; cum in jure novo ejus correctio seu restrictio nulla quò ad hanc petitionem debiti reperitur. Siquidem Trident. restringens affinitatem ad gradum secundum, nullam de privatione debiti mentionem fecit; adeoque adhuc contractam ex illicita copula affinitatem intra dictum quartum gradum impedire petitionem debiti, docent Comit. *L. 1. respons. mor. q. 136.* & alii apud Sanch. *L. 7. d. 15.* Verùm contrarium, nempe restricta affinitate ad secundum gradum, quò ad contrahendum matrimonium, eo ipso quoque ad illum gradum restringi debitum petendi privationem, tenent cum communi Sanch. *L. 9. d. 27. num. 14.* Gutt. *de mat. c. 99. in fine.* Castrop. *cit. §. 4. num. 2.*

Ponc. *L. 7. c. 33. in fine.* sic referens decisum à S. Cong. Concil. Ratio est, quòd privatio petendi debitum imponitur in pœnam incestuosæ copulæ; sublato autem impedimento contrahendi matrimonii ob copulam habitam cum consanguineis uxoris in tertio & quarto gradu, copula illa non est incestuosa.

2. Limitatur dicta responsio, nempe quòd incestuosus ille, seu cognoscens consanguineam uxoris non privetur jure petendi debitum. Primò, si ignoravit esse consanguineam; vel etiam, dum scivit esse consanguineam, ignoravit tamen esse consanguineam in primo vel secundo gradu, eò quòd tunc non committat incestum (intellige formalem) adeoque etiam non incurrat pœnam tali incestui statutam. Sanch. *L. 7. d. 15.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 3. c. 1. num. 14.* Castrop. *num. 3.* Secundò si per violentiam conjux fuerit cognita à consanguineo mariti, adhuc poterit petere debitum. Laym. Castrop. *LL. cit.* propter eandem rationem. Tertio, juxta probabilem, si per metum gravem cadentem in virum constantem copula illa incestuosa fuerit extorta; eò quòd, cum hac pœna inducta sit jure ecclesiastico, non videatur ita coactè peccanti imposita; ita cum Soto *in 4. d. 37. q. un. a. 2.* Castrop. Laym. *LL. cit.* Ponc. *L. 10. c. 7. num. 6.* quam sententiam licet Sanch. probabilem & pietate plenam dicat, sequitur tamen contrariam. *L. 9. d. 31. num. 4.* Quarto secundum Sylv. *v. luxuria. q. 4. dicto. 2.* Angel. *v. incestus. num. 4.* Sa *v. matrimonii imped. dirim. num. 1.* si incestus sit occultus. Sed meritò id rejiciunt omnes alii. Sanch. *l. c. num. 3.* Gutt. *q. can. L. 1. c. 22. num. 8.* Castrop. Laym. *LL. cit.* cum Gl. *in c. qui dormierit. v. neutrum. 32. q. 7.* ex nullo enim textu colligitur, incestum talem debere esse publicum ad contrahendum impedimentum hoc; & sanè, si hoc verum, rarò contraheretur. Sed neque sententia Judicis ad hoc requiritur. Sanch. Laym. Castrop. *LL. cit.* Quintò limitatur cum Soto *l. c. a. 2.* Gutt. *l. c. c. 23.* Sanch. *L. 9. d. 7. num. 1.* Castrop. *num. 4.* Laym. *num. 15.* ita ut incestuosus conjux quandoque petere possit debitum, ne nunquam petendo veniat in suspicionem admitti sceleris, aut ne alter conjux exponatur periculo incontinentiæ, vel credat, se minus diligi; cum hæc sit lex ecclesiastica, quæ cum tanto rigore credenda non sit obligare. Sextò, ut obtenta de super dispensatione (ad ejus impetrationem nullus consensus innocentis, etiam conscii delicti requiritur; ut cum Sanch. *l. c. d. 6. n. 10.* Castrop. *n. 5.*) ita integrè recuperetur jus petendi debitum, ac si nulla unquam contracta affinitas; quam dispensationem jure ordinario, saltem per consuetudinem acquisito, concedere potest Episcopus. Laym. Castrop. *LL. cit.* Sanch. *L. 8. d. 4. num. 4.* uti etiam ex privilegio Papæ superiores societatis, & quibus ipsi commiserint. *in privileg. Societatis, v. dispensatio.*

3. Resp. Secundo: Quod attinet innocentem, dubium non est, quin is petere possit debitum, & hoc ei reddendum; cum sine sua culpa suo jure privati nequeat. *cit. c. discretionem.* adeoque affinitas post matrimonium iniquè contracta nocere non debet ei, qui iniquitatis particeps non fuit. *c. fraternitatis. de eo, qui cognov. consang.* Reddere tamen ipsa incestuosa, adeoque iniquè petenti, non tenetur, eò quòd ista illius petitio sit nulla, utpote facta à non habente jus petendi. Gl. *in c. nusse. 30. q. 1. v. defraudaretur.* Covar. *4. decret. 2. p. c. 7. §. 2.*

§. 2. num. 5. Sanch. *L. 9. d. 6. num. 8.* Castrop. num. 7. Sed & si aliquando annuerit ejus petitioni, non tamen exinde obligatus est deinceps illi petenti illud reddere; quia per hoc ipse non est liberatus hac poena, nempe privatione juris petendi, neque innocens eam illi remittere potest. Castrop. *l. c.* Sanch. num. 9. Posse tamen innocentem licite reddere debitum, etsi nocens illud inique petat, docent Castrop. *l. c.* Laym. *cit. num. 15.* Sanch. num. 12. & c. contra alios; cum enim innocens jus conjugale plenissime possideat, potest eo uti petendo & reddendo debitum, ut Laym. perinde, ac si nulla affinitas subesset, ne ex culpa alterius gravetur. Sed & potest id absque eo, quod cooperetur culpae alienae; siquidem copula illa secundum se illicita non est, sed solum quod ab incestuoso petitur, jam verò illi petitioni innocens non cooperatur formaliter, quia nocentem ad petitionem non instigavit; sed solum copulae petitae; ita Castrop.

4. Porro illud hic notandum primò, quod cognoscens consanguineam sponsae suae de futuro in primo vel secundo gradu, etsi incestuosus per hoc non sit, contrahat tamen affinitatem cum propria sponsa, ac ita impedimentum dirimens, ita ut sine dispensatione jam amplius cum ea contrahere nequeat matrimonium; sed neque consanguineam sponsae à se carnaliter cognitam in uxorem ducere potest, si est in primo vel secundo gradu consanguinea sponsa, cum jam per praecedentia sponsalia contraxerit impedimentum publicae honestatis respectu dictae consanguineae; non tamen impeditur ducere etiam quamcumque, etsi consanguinea illa cognita fuerit in primo gradu, quia tale impedimentum, etsi olim fuerit, modò consuetudine abrogatum est. Et hæc secundum dicta in antecedentibus.

5. Notandum secundò: Pari modo copulam habitam cum cognata spiritali vel legali uxoris, cum non sit incestus (utpote qui est consanguineorum & affinium conjunctio, quales non sunt cognati spiritalis & legales) Pirh. *ad tit. de eo, qui cognov. consang. num. 20.* Nav. *consil. 4. cons. 2. tit. eod. num. 6. & 8.* ita etiam non causat affinitatem, & consequenter non impedit matrimonium, aut etiam petitionem debiti.

Quaest. 235. An & qualiter impedimentum affinitatis dirimens matrimonium contractum, probandum sit?

1. Resp. Primò: Matrimonium ex hoc capite impeti non debet, nisi impedimentum hoc sit publicum, aut idoneis testibus probetur; uti expressè dicitur *c. de illo. de eo, qui cognov.*

2. Resp. Secundo: Tametsi ad impediendum matrimonium contrahendum unus testis plene probet, eique asserenti hoc impedimentum (idem est de alio quovis impedimento) creditur; quia tunc agitur de vitando peccato, ne impediti & inhabiles contra Ecclesiae prohibitionem contrahendo peccent. Sanch. *L. 1. de sponsal. d. 7. num. 1.* cum Gl. *fin. in cit. c. de illo. & ibi.* DD. communiter; uno tamen solo asserente, subesse

impedimentum dirimens, conjuges contracto matrimonio separandi non sunt.

3. Resp. tertio: Licet conjuges ipsi ambo dicant, affinitatem inter eos contractam ante matrimonium, tamen hoc non dirimitur, nec separandi sunt, ut expressè habetur *c. super eo. de eo, qui cognov.* quia non creditur viro vel uxori, si confitentur in praedictum matrimonium, statim autem eorum Confessione factae pro matrimonio. Gl. *in cit. c. v. Confessionem.* Cur autem stetur confessioni conjugum asserentium matrimonium esse contractum, juxta *c. attestaciones. de despons. impub. & Gl. ibi v. evassisse.* Et non stetur eorum Confessione contra matrimonium ad illud dissolvendum vel separandum, ratio est; quia assertio illa pro matrimonio est eadem valde favorabilis, uti & ipsis contentibus & toti Republicae, cujus interest matrimonium ejusque valorem defendi, ut liberis hominibus civitates repleantur, *L. 1. soluto matrimon. de contra confessio contra valorem matrimonii est valde odiosa, tum ob collusionem conjugum, ut habet textus *cit. c. super eo.* tum quia contentur in eare, in qua ipsi sibi praedictum nequeunt; cum dissolutio matrimonii non dependeat à conjugum potestate. Ac denique quia talis dissolutio praedictat proli & aliis bonis matrimonii. Barb. *in cit. c. super eo. Pirh. l. c. num. 17.* Neque his obstat, quòd post confessionem in jure seu judicio factam nihil quaeratur amplius, sed confessi pro judicatis habeantur. *L. post rem. ff. de re judic. juncta L. unie. c. de confess.* hoc enim verum est in iis, quae ex confessione partium pendunt, & sunt in libera eorum potestate, at dissolutio matrimonii non pendet ab hominibus.*

4. Extenditur responsio, ut procedat, etiam si confessioni amborum conjugum accedat rumor viciniæ confirmans tale impedimentum. Pirh. *l. c. num. 18.* ubi etiam cum Abb. *in cit. c. super eo. num. 3.* quod rumor viciniæ sit, quando pars aliqua, nempe tertia vel quarta, aliquid affirmat, in quo differt à fama publica, quae proprie est, dum tota civitas aut viciniæ, vel major ejus pars aliquid evulgat. Rumor autem est quid minus, ut Gl. *in cit. c. super eo. v. confessionem in fine.* quam fama, & non est sufficiens probatio sine testibus, Porro, quod hic notandum, fornicatio potest dici notoria sine alia probatione, dum Clericus publice tenet in domo concubinam vel feminam suspectam. Pirh. *l. c. num. 15.* Host. *in c. de illo. de eo, qui cognov. v. notorium.* Abb. *ibid. num. 3.* Alex. *num. 4.*

5. Resp. Quarto: Sed neque confessioni amborum creditur, si fiat ea confessio adversus aliud matrimonium, quod cum altero eorum prius initum asseritur, crederetur enim vel sic eorum testimonium in propria causa & in proprium eorum commodum, quod nullo jure concessum. Abb. *l. c. Menoch. de arb. cas. 103. num. 6.* Pirh. *l. c. num. 18.* qui etiam cum iisdem notat, quòd, si agatur de separatione tantum quòd ad thorum, credatur unius conjugis assertioni contra seipsum, v. g. si mulier confiteatur se commisisse adulterium, illi ejus confessioni creditur, ut à viro quòd ad thorum separatur.